



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

7. Quinque sensus, Solis filiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

fiasticus c. 33. Ex confuso & turbido corde similes cogitationes prodeunt. Quid auribus est ingratius stridente currus rotâ? quid iracundi clamoribus magis absonum, aut inconditum? Et quales sunt rotæ currus hujus? indomitæ perturbationes, feroces & præcipites impetus, quibus animus in vindictam impellitur. Verè Isaias: *Rota ejus, quasi impetus tempestatum.* c. 5. In tempestate, quod est horror & caligo; hoc sunt in iracundo, offusæ menti tenebræ: quot in illa sunt tonitrua; hoc, in isto vociferationes & convitia: quod in illa, fulmina; hoc in isto minæ & intentata verbera: quod in illa ventorum conflictus; hoc, in isto contrariorum affectuum tumultus: quod in illa fluctus, procellæ, naufragia; hoc in isto sunt totius corporis jactationes, & foeda præsertim oris spumantis, facies, & valetudinis ac honestatis extrema labe. Mars manu vibrat hastam; iracundus vindictam, nullo discrimine iusti vel iniusti.

VII. (1) Adulterium Martis, à Vulcano deprehensi & nexibus vincti, notissima res Poëtis est; Ovidius;

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit:

Notior in cælo fabula nulla fuit.

De hoc figmento eleganter & castè Furius Fulgentius Episcopus lib. 2. Mytholog. scribit in hæc verba: Venus Marti concubuit; Sol eos Vulcano prodidit; hic catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret. Venus in doloris vindictam, quinque Solis filias amoribus succendit. *Pasiphaën*, *Medeam* (non illam Colchidem, Jafonis uxorem) *Phædræ*, *Circen*, & *Dircen*. Hæc igitur amorum dea, quinque Solis filias, id est, quinque humanos sensus, luci ac veritati deditos, quasi Solis foetus, hac corruptela fuscatur. Unde illis nomina. *Primam* Pasiphaën nempe omnibus apparentem, id est, Visum vocarunt. *Secundam* Medeam, quasi *Audium*, hoc est, *ἰδὲν ἰδῆν*, nullam visionem. *Tertiam* Circen, id est, *Tactum*, quasi dicerent *ἁπὸν κερτῆν*, manuum iudicium. *Quartam* Phædræ, *Odoratum*, Græcè *ὀσφρον ἡδῆν*, ferens suavitatem. *Quintam* Dircen, Saporis indicem, quasi *ἑνὸν ἰδῆν*, acerbè iudicans. Quinque has filias exitiali morbo detentas interiisse ferunt, quò quid aliud innuitur, quàm foedæ libidinis venenum per sensus in animum instillari, rursusque ex animo in sensuum exitium, & totius corporis pestem redire? Hæc ille vir eruditus & pius, utique alius à S. Fulgentio, qui inter SS. PP. censetur. De etymo harum vocum non est necesse hîc disputare.

VIII. (m)

(1) *Quinque sensus sunt quinque Solis filia.*